

EXHORTATIO  
DE EXEQVENS

DA CALENDARIJ CORRECTIONE,  
QVAM S. D. N. GREGORIVS XIII. PONT.

MAX. EDI, PROMVLGARI ET PER ITALIAM

ceterasque orbis Christiani partes Anno

M. D. lxxxij. obseruari mandauit.

AD SACRAM CAESAREAM MAIE-  
STATEM IMPERII ELECTORES AC PRIN-  
cipes, ceterosque status: Praecipue verò ad Serenissimum Reuerendissi-  
mumque Principem Ernestum, recens electum Archiepiscopum Colo-  
niensem, Principem Electorem, &c. Nec non ad Illustrissimum &  
Reuerendissimum D. Ioannem VVilhelmum, Postulatum Admini-  
stratorem Monasteriensem, Iulia, Cluina & Montium, &c.

Ducem hereditarium, Dominos suos clemen-  
tissimos, directa & scripta.

Per Theodorum Graminaeum, Philosophiae Doctorem, I. Licen-  
tium, Illustrissimi ac Reuerendissimi Principis ac Domini,  
D. Ioannis wilhelmi Administratoris Monaste-  
riensis, &c. Consiliarium,

DVSSELDORPII

Excudebat Albertus Busius, Anno 1583.



ILLVSTRISSIMI AC REVE-  
rendissimi Principes, Domini  
Clementissimi.

**R**eformationem in Ecclesia Dei, qua fidei  
& morum integritas per Europam ac pos-  
tissimum Germaniam restituatur, propedi-  
em expectandam esse, ex Analogia scriptur-  
rarum mihi persuasum habeo, atque eius initia iam nos vi-  
dere, non temere auguror. Boni enim ominis est, quod Pon-  
tifex Maximus pariterq̄ sanctissimus Gregorius xij.  
anni metas, Calendarijque Romani terminos vitiatos  
& corruptos, corrigendos pristinaeque integritati resti-  
tuendos esse serio proposuerit, atque iam per Italiam re-  
stituerit. Quod reformationis spem nobis haud modicam  
facit, cum, quod Iulij Cæsaris atque Augusti ævum, quo  
primum ratio præsentis anni instituta est, in nostræ religio-  
nis ac salutis initium incidat, tum verò quod Nice-  
na synodus, quæ in correctione anni, ac celebritate Pas-  
schæ constituenda, diligentissime elaboravit, fidem à Chri-  
sto & Apostolis traditam 318. Episcoporum sententia  
mirificè nobis illustraverit, confirmaverit ac stabilie-  
rit. Eo res devenit & tempore Nicenæ synodi, cum anni  
vitiati, Calendarijque corrupti correctio, per varia  
concilia, quæ recensere minime opus est, sæpius, frustra ta-

A ij men

## EXHORTATIO

*men attentata ac iam tandem cum Calendarij reformatio à sanctissimo Domino Gregorio xij. primum instituta, ac etiam per Italiam & territorium Romanum introducta sit, adeo vt hoc anno 1583. correcto vtantur, vt proinde ad differentiam veteris anni corrupti, quod hac correctio per superiorem Germaniam nondum approbata sit, in literis seu scriptis Roma transmissis stylo nouo vtantur, vt nihil aliud expectandum existimem, temporum Analogia consentiente, quàm Ecclesiae reformationem. Vt illud quoque addam Belgas seu inferiores Germanos (licet mandato ac voluntati sanctiss. Domini Pont. Max. minime paruisse velle videantur, cum decem dies non ad ordinationem Pontificis, sed pro suo arbitratu, vt eorum mos est, qui ab Ecclesia Catholica recesserunt, exemerint) annum etiam correxisse, correcto & reformato vti. Proinde vestras Illustriss. ac Reuerendiss. Celsitudines in correctione anni, sanctissimi Domini Pontificis Maximi ordinationem vt sequantur, hoc scripto hortor et admoneo, communi omnium subditorum Catholicorum nomine. Præterquam enim quod id Christiani orbis Principibus Ecclesiasticis & secularibus, potissimum autem sacræ Cesareæ Maiestati vt ecclesie Dei aduocato, à sanctissimo D. N. Pont. Max. iniunctum atque delegatum sit, iure ipso Canonico, ad eius observationem tenentur atque obligantur omnes Christiani. Nam Victor Papa xij. à Petro, statuit ne membra à capite discrepent, vt*

*omnes*

CORRECT. CALEN.

omnes celebrent festiuitatem Paschæ à xiiij. die Lunæ,  
 primi mensis .i. Martij, vsque ad vicesimam diem eiusdem  
 mensis: Cap. Celebritatem de Consecr. Distinct. ij. Et in  
 Concilio Arelatensi primo statutum est, vt Paschæ festum  
 vno die eodemque tempore per vniuersum orbem celebre  
 tur. Cap. de obseruatione eadem distinct. Idem statutum  
 est, in Concilio Antiocheno Canone I. vt in Conciliorum  
 Tomo primo. De hac obseruatione habet quoque Ecs  
 clestastica Historialibro v. cap. xxij. & sequenti, vbi  
 refertur fuisse magnam controuersiam propter auctorida  
 tem Policarpi, qui tunc erat in humanis, & fuerat discip  
 pulus beati Ioannis Apostoli & Euangelistæ. Et ipse vos  
 lebat obseruationem antiquo more. Cum itaque Romæ  
 ac per vniuersam Italiam Calendarij reformatio facta sit  
 Paschales termini in debitum locum reducti ac reuocati,  
 vt reformatio Calendarij vitiati diutius non differatur,  
 Christianis per totum orbem terrarum incumbit, sed ad  
 ordinationem S. D. N. Pontific. Maximi, vt reformetur  
 ac restauretur. Præterquam enim quod Roma sit om  
 nibus Christianis communis patria, portus & asylum,  
 in negotijs ad fidem pertinentibus, ad eius vrbis Præsulem  
 tanquam summum hierarchici ordinis caput, eiusque Ecs  
 lesiæ consuetudinem respicere conueniat, etiam ipsa  
 vrbis & ciuitas Romana in sanguine Petri ita sanctifica  
 ta est, vt recte & merito Europæa noui testamenti Hye

A ij rosolima

## EXHORTATIO

*rosolyma dici ac appellari possit, ideoq̄, non temerè ab eius  
 vrbis vsu ac consuetudine recedendum. Nam quid de hac  
 Europæa Hyerosolima, eiusq̄ue Ecclesia, & fidelium  
 congregatione, quæ per Analogiam domui Iudæ respon-  
 det, veteres senserint, Abbas Ioachim spiritu prophetis-  
 co & reuelationibus clarus, his quæ sequuntur verbis,  
 satis declarat: Romana (inquiens) Ecclesia non sicut Iu-  
 dæa & Græcia in fide refriguit, etsi ab operibus iusti-  
 tiæ deuiavit: Quia tamen aliarum respectu sedium, in a-  
 trium exterius, quod est foris templum Gentibus datum,  
 Solis æterni ciuitas reputatur, semen in ea Dominus be-  
 nedictionis reliquit, per quod vsque in finem seculi filij  
 pro patribus surgerent, & indecissam fidei tunicam inter  
 mundana dissidia conseruarent. Vnde sequitur: Nisi Do-  
 minus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma  
 fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus, Sed non au-  
 feretur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius. Genes.  
 xlix. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ec-  
 clesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus  
 eam. Ipsa est firmamentum in medio aquarum, Venerunt  
 flumina, & flauerunt venti, & impetuerunt domum  
 illam, nec corruit, Fundata enim est supra petram Matth.  
 vij. Idcirco Spiritus Domini illud septiforme candela-  
 brum reprobauit, scriptura dicente: Repulit tabernacu-  
 lum Silo. Et iterum Tribum Ephraim non elegit, sed  
 tribum*

CORRECT. CALEN.

Tribum Iuda, montem Sion quem dilexit. Ex quibus colligitur quod orientali ecclesia reprobata Romanam ecclesiam ubique diffusam Dominus reseruauit in templum: Ita que etsi ad subuertendam humilium pietatem, furorem istiusmodi Chaldaeorum ferocium, in odium Sancti Petri sedis, Romana Ecclesia experitur, tamen diebus Aquilae discurrentibus, vndiquaque furor ille reprimetur fulminibus. Quocirca Romana ecclesia mysticè præfecta est cunctis ecclesijs, sicut tribus Iuda, cunctis tribubus Israelis. Ipsa tamen est, de qua Zacharias scribit. Ponam Ierusalem in lapidem oneris, licet à seculi pressura libera esse non poterit. Hactenus Abbas. Ex his manifestissime colligitur morem & consuetudinem ecclesiae Romanae, per vniuersum terrarum orbem, omni terz iuersione postposita, quam diligentissime obseruandum esse: quod Canonistæ adeo obseruant, vt non solum auctoritatem summam (de qua dubitare nefas) ecclesiae Romanae tribuant, verumetiam ipsam urbem, in sanguine Petri sanctificatam existiment. Nam Petrum Roma exeuntem et persequutionem fugientem, iussit tacitè redire Dominus, dū Petro interroganti, Domine quo vadis? respondit: Vado Romam iterum crucifigi, vt habetur in cap. per venerabilem. par. sane. Qui filij sint legitimi, vbi dicitur: Volens Petrum Dominus ad locum, quem elegerat, reuocare, respondit. Iterum venio Romam crucifigi, vt dixi, non quia ipse

Dominus

## EXHORTATIO

Dominus vellet iterum crucifigi, sed ut Petrus rediret  
 in urbem, ibi pro Christo crucifigendus, quo urbem ipsam,  
 Romam tanquam alteram Europæam Hyerosolimam  
 sanguine suo consecraret, & sic hoc modo dicitur Petrus  
 in Christo crucifigi. C. nulli ij. Questione. j. & in D.  
 paragrafo, Sane, Vbi dicit Hostien. quod vrbs Romana  
 effusione sanguinis Petri qui fuit Vicarius primus Chris-  
 sti, facta est altera Hyerusalem, adeo quod per talem effu-  
 sionem voluntas Dei fuit, ut ille locus firmaretur & con-  
 secraretur pro Ecclesia sancta, quæ esset caput, princeps  
 & Domina omnium Ecclesiarum. Probatum clarè in C.  
 Fundamenta de Election. in sexto adde Baldum in auth.  
 Quas actiones C. de sacrosanctis Ecclesijs, vbi dicit: quod  
 Ecclesia Romana dicitur tribus Iuda, omnium mater do-  
 mina & regina. Atque idcirco voluit Dominus Romæ pos-  
 tuius, quam alibi Ecclesiæ suæ caput stabilire, ac confirma-  
 re, ut vbi erat caput superstitionis, ibi caput quiesceret  
 sanctitatis, & vbi Gentilium Principes habitabant, illic  
 Ecclesiarum præsules, ac principes morarentur: ut in C.  
 Beati II. Questione VII. adduco tex. in cap. fin. LXX.  
 XXIX. dist. Vbi dicitur quod Ecclesia hic in terris  
 militans diuinitus est exemplata ab Ecclesia trium-  
 phante. Cum itaque Romæ, atque adeo per Italiam  
 vniuersam Calendarij correctio iam facta atque in-  
 stituta sit, cæteris orbis Christiani Principibus, tam  
 Eccle

CORRECT: CALEN:

*Ecclesiasticis, quàm secularibus conuenit & incumbit, vt ad ordinationem D. N. S. Papæ Gregorij xij. Calendarium quoque reforment atque instaurent. Proinde vestrarum Illustrissimarum & Reuerendissimarum Celsitudinum muneris atq; officij erit hac in re Ecclesie Dei subditis vestris non deesse, sed propter regionum ac Principatum vestrorum vicinitatem, coniunctis animis in correctione Calendarij hoc anno instituenda, in communi laborare, quod eo commodius fieri ac expediri poterit, cum vicini vestri inferiores Germani seu Belgæ, octuagesimo tertio præsentis anno decem diebus inter primam & duodecimam mensis Ianuarij, è Calendario exemptis, nulla correctionis Pontificiæ facta mentione, illud correxerint atq; reformarint: Euenit tamen vt eorum correctio hoc anno ab ijs instituta, inter nos, qui veteri vitioso adhuc vtimur Calendario, & illos, qui nouo reformato vsi sunt, quod Calendarij veteris vitiosi, & noui reformati ijdem termini Paschales existerent, magno commodo vicinarum prouinciarum, nihil varietatis seu perturbationis pepererit, in obseruatione Paschalis celebritatis. Cum enim Pascha nostrum die tricesima prima Martij, Belgarum verò Pascha stylo nouo decima Aprilis obseruaretur, in vnum tamen, eundemq; diem & veteris vitiosi & reformati Calendarij, apud vtrosq; Paschæ solemnitas incidit, idq; eo potissimum euenit, quod Nouilunium in vndecimam diem Martij veteris Calendarij sole in Arietē ingrediente*

B subseq

## EXHORTATIO

*subsequentū sit, ut hinc ad plenilunium scilicet & proximè  
 subsequentem Dominicam Pascha utrisq; eodem tempore  
 & ante æquinoctiū reformati Calendarij inciderit. Cum  
 autem idem illud plenilunium in sextam diem Aprilis re-  
 formati Calendarij, post æquinoctium antiquo suo termi-  
 no restitutum, correcti Calendarij inciderit, id hoc anno  
 locum habuit, ut simul & nos ratione veteris vitiosi Ca-  
 lendarij & Belgæ correcti & reformati, vno eodemq;  
 tempore Paschalem solemnitatem obseruauerimus: quod  
 cum sequentibus annis minimè futurum sit, ad euitandam  
 in vulgo perturbationem, & quod commodissimum sit ade-  
 oq; etiam nobis incumbat in obseruatione Paschalis cele-  
 britatis consuetudinem & ordinationem Romanæ Eccle-  
 siæ omninò tenere; vestras Illustrissimas ac Reuerendissi-  
 mas Celsitudines requirendas communi omnium Catholi-  
 corum nomine existimaui, quò à vestris Celsitudinibus  
 vnanimi consensu anno hoc præsentis lxxxiiij. exemptione  
 decem dierum, iuxta ordinationem S. D. N. Papæ Gre-  
 gorij xiiij. Calendarij correctio instituat. Quod si à ve-  
 stris Celsitudinibus fiat, dubium non est, quin cæteri Im-  
 perij principes Electores tam Ecclesiastici quam secula-  
 res vestro exemplo inducti idem facturi atque ordinaturi  
 sint, præsertim si intellexerint hoc à vestris Illustrissimis  
 atq; Reuerendissimis Celsitudinibus iam statutum atq;  
 ordinatum esse. Quo pacto autem correctio debeat vel  
 possit institui, ex Bulla S. D. N. Pont. Maximi Gregorij  
 xiiij.*

CORRECT: CALEN:

xij. (cuius copiam huic scripto adiunximus) similiter ex Calendario reformato descripto constare potest, cuius etiam exemplar hic adiecimus. Si igitur edicto publico vestrae Illustrissimae ac Reuerendiss. Celsitudines per vestros principatus, ac regiones exemptionem decem dierum è mense Octobri proximo publicauerint atq; mandauerint in annum sequentem, qui ad nouam ordinationem vestris subditis Diaria seu Calendaria constituent, non deerunt, & inferioris Germaniae Ephemerides vestris subditis atq; provincijs accommodabuntur. Verum, dum praesentem hanc exhortationem fere absoluissem è Nundinis vernalibus Francofordiensibus mihi adfertur libellus cuiusdam M. Thobiae Molleri, Astronomi, si vera sunt, quae in ipso libello satis praesumptuose pollicetur, non vulgaris, sed artificis summi, cui vix Ptolomaeus aut Nicolaus Copernicus comparandi forent. Hic ad sacri Romani Imperij potestates, principes ac status singulos, ciuitates Imperiales, Doctos & subditos scribens, eos hortatur & monet, ne Calendarij correctionem anno M. D. lxxxxiij. à Pont. Max. Sanctiss. Domino Gregorio xij. editam promulgent, aut in suis ditionibus exequantur, aut pro vera agnoscant. Tanti ausus libellus Lipsiae apud Iohannem Beyer Germanicè typis euulgatus: Causam autem suae exhortationis hanc potissimum adhibet. Quod reformatio illa promulgata, & iam multis in locis executà, sine ratione ac firmo fundamento constet; Tribus autem potissi-

## EXHORTATIO

mum argumentis hanc suam propositionem confirmare ac  
 stabilire conatur. Primum est, quod in Calendario refor-  
 mato nullam habitam rationem, Canonum motuum cele-  
 stium, affirmet. Secundum est, quod nondum magnitu-  
 do mensium, & annorum declarata sit, & proinde hanc  
 correctionem promulgatam erroneam et damnosam esse.  
 Tertium est, quod correctio Calendarij debeat de neces-  
 sitate perducere ad principium institutionis, ad ævum scili-  
 cet Iulij Cæsaris, quo primum instituta est. Hæc solum  
 argumenta sunt, eaq; friuola ac nullius momenti, quibus  
 executionem reformati Calendarij Mollerus impedire  
 apud Imperij principes, tuto protestantes, conatur, sed  
 Reformatæ Religionis Calvinistæ (vt sese appellitât) eius  
 crepundijs non mouentur. Catholici autem facile intelli-  
 gent has nugas in odium Pontificis consarcinatas: Ne  
 existimetur illum aliquid constituere posse, quod saluta-  
 re sit in Ecclesia, & non minus apud Lutheranos, quam  
 Catholicos rationi ac veritati consonum sit. Sed vt prote-  
 stantes Concionatores, scripturam sacram affligunt, Pa-  
 trum scripta perperam exagitant, atque detorquent: sic  
 Mollerus Calendarium reformatum magna cum impu-  
 dentia & temeritate, quod pace tanti Reformatoris Ca-  
 nonum, motuum, scripserim, reprehendit atque reijcit.  
 Quod de alijs viginti causis nondum in medium produ-  
 ctis neq; producendis adiecit, nugatorium est, dum primo  
 argumento melius nullum adducere possit. Secundum ac  
tertium

CORRECT. CALEN:

tertium lucra seu corollaria primi argumenti sunt, quo etiam xx. cætera argumenta, si à generali commemoratione ad specialia procedere vellet, spectabunt. Quo autem videat Mollerus, quam firmis & validis argumentis & rationibus suam exhortationem comprobarit: primum eius argumentum in formam syllogisticam, argumenti eiusdem probationibus minime neglectis, redigemus.

Reformationem Calendarij non exequendam  
in Imperio.

Causa:

Quod sine ratione ac fundamento existat, & quod alia firmior & rationabilior ab ipso Mollero expectanda sit.

Sine ratione & fundamento eam existere, ita probatur.

Quod Canonum motuum nulla in ea habita sit ratio.

Argumentatio igitur talis constituitur Molleri.

In Calendario restaurando, debet Canonum motuum haberi ratio, debent constitui Tabulæ Astronomicæ, & novæ correctæ Ephemerides.

Sed in hac restauratione Pontificia nulla Canonum motuum, neque constitutionis novarum tabularum, neque correctarum Ephemeridum est habita ratio.

Proinde est sine fundamento & ratione inducta correctio, vitiosa & damnosa igitur.

Propositio non probatur à Mollero. Nam licet in confesso foret Tabulas Astronomicas, tam Erasmi Reinhol-

B ij di

## EXHORTATIO

*di ad Revolutiones Copernici constitutas, quam Alphonsinas vitiosas, omnemq; Ephemeridum calculum corruptum ac erroneum esse, vt affirmat, sed nondum probauit Mollerus: Non tamen sequitur ob id Calendarij Romani correctionem aut restorationem fieri non posse, aut factam erroneam vitiosam & damnosam esse, cum Calendarij correctio in reuocatione æquinocetiorum ad antiquos terminos, & restoratione terminorum Paschalium consistat, cætera verò constitutio Canonum motuum summis artificibus reseruata sit, & omnes artifices, qui hactenus correctionis formulas proposuere Ecclesiæ presulibus, hæc duo solum in correctione Calendarij necessaria putauerunt. Nec Canonum motuum Tabularumq; nec Ephemeridum habita ratio fuit in constitutione anni Iuliani ab initio, nec tempore correctionis eiusdem anni sub Augusto, dum incuria & negligentia sacerdotum corruptus esset, nec etiam tempore Nicenæ Synodi, vt mirum sit homines nimium arti suæ deditos, et ad Remp. inhabiles, dum omnes suas curas & cogitationes vanis speculationibus intendunt, et se ipsos enervant, in tantas angustias & scrupulositates Ecclesiam Dei redigere velle, ac os in cælum attollere audere, illudq; reprehendere, quod non intelligant. Si quis se reformatorem Canonum motuum, obseruatione firma & valida exhibere audet, is in medium procedat, suaq; exhibeat mundo, vt pro sua virtute et gloria exornetur ac decoretur: Nobis, ac alijs bonis viris*

*coms*

CORRECT. CALEN:

commendandi non subtrahat occasiones, & commoditatē.

Quod si firma & valida esset Propositio, videlicet in Calendario restaurando debere Canonum motuum haberi rationem, debere constitui novas tabulas, ac novas Ephemerides exhiberi, negarem assumptionem, scilicet in hac restauratione Pontificia, nullam Canonum motuum, neque constitutionis novarum tabularum, neque correctionum & phemeridum rationem habitam. Cum Ephemerides ad Revolutiones Copernici summi artificis & Erasmi Reinholdi tabulas correctæ & reformatæ, cum annotatione etiam errorum, qui in Ephemeridibus Iohannis Stadij reperiiebantur, Sanctissimo Domino Pont: Max: dedicatæ atque oblatae sint, ab anno 1581 ad annum 1620. computatæ & calculatæ Venetijs editæ, atque his nundinis Vernalibus Francofordianis publicè & passim distractæ, ut earum exemplar in promptu est. Ut hac causa argumentationis Molleri assumptio corruat, & vanam eius præsumptionem arguat, qui tantæ impotentiae in suo illo scripto nugatorio existit, ut sese summis artificibus præferre non dubitet, cum tamen hæcenus suæ tam excellentis doctrinae nullam spem fecerit, aut specimen exhibuerit. Sed ad me hæc nihil, alijs occupatum, summis artificibus hunc hominem vanè gloriosum & jactabundum depexendum & dedolandum relinquo.

Altera ratio, qua Mollerus improbare condatur Pontificiam correctionem, eamque sacræ Cesareæ Majestati

## EXHORTATIO

*iestati & sacri Romani Imperij principibus non recipien-  
 dam suadere non erubescit, hæc est. Quod nondum magni-  
 tudines mensium, annorumq; declarat & sint, ac de ijs cer-  
 tò constet, haud dubiè ex eo, quod artificum observationes  
 variant, Solisq; ac Lunæ motus nondū verè cogniti & ex-  
 plorati sint. Sed argumentum hoc secundum nulla syllo-  
 gistica deductione opus habet, cum sit lucrum ac corolla-  
 rium, vt dicitur in scholis, primi. Nam si Canonum motu-  
 um, Reformatarum tabularum Astronomicarum, similiz-  
 ter & Ephemeridum correctarum, in Calendario nõn res-  
 quiritur ratio, nec oberit communi huic reformationi,  
 quæ non summi ac scrupulosissimi artificij esse debet, igno-  
 ta exactissimi anni syderej ac Astronomici quantitas,  
 quæ à temporibus Ptolomæi, vsque in hanc ætatem, ab ar-  
 tificibus summis semper alia atq; alia reperta atque adin-  
 uenta est, & euenire posse ex speculatione non vana, sed  
 rationali Copernici, vt excrescendo tandem superet etiam  
 Alphonsinam paulatim quantitatem, vt nõ in anteceden-  
 tes sed subsequentes dies, retrahat æquinoctia. Sed quid  
 impedimenti hæc ratio Ecclesie Dei inferet, vt hanc res-  
 taurationem Calendarij impedire debeat aut possit, in fu-  
 turum, cum etiam ad xxxv. diem Martij, æquinoctium non  
 sine magno mysterio reduci potuisset. Quid si iam paula-  
 tim in dies subsequentes anno vsuali minori quam solari  
 existente, æquinoctia transferantur, ob id tamen hæc an-  
 ni reformatio nullo pacto aut dissuadenda aut impedienda  
 foret*

CORRECT. CALEN:

foret, cum mundi hac senectū in dies subsequentes ante  
seculi finem eo usq̄ proreptura non sint æquinoctia, v̄t  
xxv. diem Martij institutionis primæ, cui tempore mor-  
tis ac passionis Christi Salvatoris adhærebāt, contingant.  
Et quid si vltèrius proreperent, cū non in diebus, sed æqui-  
noctio, illiq̄ applicato Pascali termino, mysterium correcti-  
onis versetur, vt posterius declarabitur. Et dum hæc  
eius generis sint, ut hæctenus à summis artificibus inda-  
gari minime potuerint, quid ea, quæ captum nostrum exce-  
dunt tam scrupulosè inquirimus, & tam pertinaciter cum  
inobedientiæ nota vrgemus, ne dicam cum summa læsione  
capitis hyerarchici ordinis & calumnia, sine ulla iusta cau-  
sa ac occasione, temere reprobamus ac reijcimus? Et quis  
est mortalium, qui hæctenus certo affirmare aut asserere  
indubitanter potuerit, orbium cœlestium motus, reuoluti-  
ones, & anfractus ita cognitos & ad hypoteses, Tabulas  
q̄ redactos esse, vt mensura cursus cœlestis preueniret ad  
digitos, vt Plinius ait, Hæc inferiora caduca sunt, interis-  
tūq̄ obnoxia, illa vero superiora, licet repurgationi sub-  
dantur, ætherea sunt, adimantina, perpetua, stabilia, nul-  
lis alterationibus obnoxia, ab Angelis æuiternis mentibus  
præsidentibus reguntur & rotantur, qui cœlestibus &  
æthereis corporibus præsunt, illa dirigunt, regunt & gu-  
bernant: Nos vero licet diuini spiritus spiraculum vitæ  
susceperimus inferioribus huius mundi elementis immersi  
& implicati, aggrauamur spiritu & mente, vt si in re tam  
sublimi;

## EXHORTATIO

sublimi oculi nostri cecutiant, etiam inscrutabilis ratio aliqua cæli motuum eiusq; anfractus sit, nemini mirum videri debeat. Sed hac in re si quid ingenio vel industria valet Mollerus, suas cogitationes in medium adferat, ea tamen lege, vt aliorum iudicia non reprehendat aut reprobet, nisi sua primum exhibuerit, eaq; approbata sint. Nam hoc sæculū adeo abundat impostoribus ac hominibus mendacibus, vt vix amicissimis credi debeat aut possit, nisi se tales exhibeant vt illis tuto fides adhibenda sit, & illud vulgatum Martialis, etiamnum locum habeat.

Cum tua non ædas carpis mea carmina Læli

Carpere vel noli nostra, vel æde tua.

Tertiò restauratio Calendarij Pontificia, iudicatur Molle-  
ro erronea, ideoq; minime recipienda, quod non reducta sit ad principium scilicet Calendarij à Iulio Cæsare factum: Hanc propositionem vehementer postulare pro-  
bari à Molle-  
ro, necessario scilicet per correctionem Calendarium restituendum termino prime eius institutionis, cum nulla ratio Mystery sit in initio correctionis, sed in tempore mortis & passionis Christi saluatoris, qui ad reparandum genus humanum, in æquinoctio vernali, Annunciationis festiuitate humanam naturam assumpsit. Exortus est sol iustitiæ in Bruma ipsa, natus hyemali sol-  
stitio: passus vero in æquinoctio, Luna Solis radijs ex opposito irradiata, ac plena existente lumine, vt potius propter mysterium reductio reformationis ad Christi Saluatoris

ris

CORRECT: CALEN:

ris mortem, quam ad primum institutionis terminum, ab ipso Mollero, si hoc mysterium intellexisset, vrgeri debuisset. Verum dum patres in Nicena Synodo hanc rationē à nobis hic allatam minimè respexerint, & æquinoctio relicto eo loco, quo tum reperiēbatur, Paschales terminos applicauerint, putauit Aloysius Ecclesiasticæ dignitati magis conuenire, ob consilij celebritatem, quod è quatuor primis œcumenicis consilijs existit, æquinoctium ad terminum consilij potius, quam ad initium Calendarij institutionis, vel tempus mortis & passionis Christi reuocandum. Atque dum hoc publica auctoritate constitutum sit, non est priuati hominis hac in re temere Ecclesiæ proceribus præiudicare, aut aliud aliquid in Ecclesia obseruandum, suadere velle. Verum cum hic mos hæreticorum sit, relinquuntur suæ apostasiæ ac impietati, vt detur hoc illorum proteruiæ. Illustrissimis ac Reuerendissimis vestris interim Celsitudinibus conuenit suo muneri non desesse, & hanc ordinationem S. D. Pontif. Max. Gregorij xij. hoc anno exequi, quo imperij Electoribus & alijs principibus idem præstandi non desit occasio nec calcar: Nam magno malo & scandalo obseruaretur in Ecclesia Latina & occidentali solennitas Paschalis, non eodem tempore, quo in Ecclesia D. Petri Romæ à capite hierarchici ordinis celebraretur. Verum cum intelligam paucis caussas corrupti Calendarij & correctionis commoditatem, ne dicam necessitatem, Similiter, quæ formulæ cor-

C y rectionis

## EXHORTATIO

rectionis à Veteribus propositæ atq; pertractatæ sint, notam ac perspectam esse, mei muneris esse putavi breuem aliquam hac de re, in eorum præcipuè gratiam, qui rerum sublimium atq; cœlestium imperiti sunt, tractationem concipere, eamq; tribus potissimum membris absoluerè.

**PRIMA** parte declarabitur, annum verum Solarem seu Astronomicum, qui ex anfractu ac reuolutione Solis constat, iuxta Hipparchum & Ptolomæum ab Aequinoctio uel Solstitio, iuxta Thebit à stella fixa, cum anno vsuali seu Iuliano minimè conuenire. Et proinde Calendarium Romanum, ratione primæ institutionis, vitiosum esse, multis verò annis sine correctione coaceruatis, indies magis ac magis vitiari. Altera pars continebit non solum vtile ac commodum esse, vt error ille sustollatur, sed pene etiam necessarium fore Ecclesiæ. Tertia pars docebit modos seu vias & formulas aliquot correctionis, præsertim eam, quam iam tandem S. D. N. Pont. Max. Gregorius xij præ cæteris approbavit.

**QVOD** ad primum membrum attinet, annum vsualem cum anno solari non conuenire, certum est: vt vel hoc nomine solum annus noster vsualis, Romanumq; Calendarium vitiosum sit: quod ita declaratur. Iulius Cæsar ante natum Christum annis xlv. Calippum, & Alexandrinos imitatus, postquam A Egyptum Romano imperio subiecisset, Romam veniens ac Pontifex Maximus creatus, iustituit annum Romanis, qui ex diebus 365. & quarta diei,  
hoc

CORRECT: CALEN:

hoc est, sex horis constaret. Si hæc quantitas anni Iuliani præcise & de puncto ad punctum (vt dicitur) cum anno solari vero seu Astronomico conuenisset, & nunquam Aequinoctia anticipassent, sed sedes suas firmas, perpetuoq; stabiles in Calendario Romano obtinuissent, nec in Paschatis celebratione Aequinoctiorum anticipationis caussa, error aliquis obrepisset: Sed cum Quantitas anni Iuliani, cum Solis reuolutione, hoc est, tempore, quo Sol à principio Arietis per xij. signa transiens, in idem recurrit, non conueniat, eandemq; quantitatem superet, Aequinoctia anticipare, & suas sedes deserere necessario contingit. Nam Cæsar Calendarij sui institutione & veteris anni reformatione, Aequinoctium verum octauo Kalen. Aprilis, seu xxv. die Martij, applicauit, vt affirmat Columella lib. xij. cap. ij. de Agricultura. Idem Plinius, Macrobius, Iohannes Chrysostomus, Paulus de Middelburgo, Iohannes Stofflerinus & plures alij testantur. Aequinoctium autem nostro æuo in dies præcedentes ita anticipauit, vt nunc sedem sexto & quinto idus Martij, decima vel vndecima eiusdem mensis habeat. Ex ea anticipatione manifestissimum est, quantitatem anni Iuliani maiorem esse ea, quæ ex cœlesti solis anfractu eiusq; reuolutionis amplitudine, constituatur. Verum cum de ea inter artifices summos, obseruationum peritissimos, hætenus magna controuersia fuerit, eã hic breuiter commemorandam putauit. Ptolomæus enim Alexandrinus, qui anno Domini

## EXHORTATIO

132. floruit, dictione tertia *Almagesti* seu *magnae compositionis*, de quantitate anni elicienda agens, observatione adinuenit, annum à motu Solis ab *Aequinoctiali*, donec ad eundem redeat, continere dies 365. cum quarta vnius, minus trecentesima parte diei, hoc est, minutis quatuor, secundis *xlviij.* Quantitas itaque anni veri seu *Astronomici* ex *Ptolomæi* observatione foret dierum 365. horarum quinque, minorum *lv.* Secundorum *xij.* & minor anno *Iuliano*, min. *iiij.* Sec. *xlviij.* Atqui ita secundum *Ptolomæi* supputationem, in annis mille quingentis ab emendatione *Calendarij* per *Cæsarem*, anticipasset *æquinoctium*, si stabilis atq; firmus, *æquabilisq;* eius fuisset regressus, tantum quinq; diebus cum iam diebus quindecim fere anticiparit. Quantitatem igitur *Ptolomæicam* anni, arguit discrepans ac differens *Aequinoctiorum*, ab observatione, anticipatio. *Albategnius* in lib. de motibus stellarum Cap. *xxviij. liij.* & *liij.* post *Ptolomæum* annis 743. ut ibidem ipse testatur, observauit annum solare continere dies 365. horas quinq;, minut. *xlviij.* & duas quintas vnius minuti .i. secunda *xxxviij.* Ita ut secundum *Albategnij* observationem, *æquinoctia* 106. annis per vññ diem anticipent, quæ anni quantitas (cum experientia longi temporis ut *Iohannes Lucidus* in *Epitome emendationis Calendarij Romani* censet, eam verissimam esse comprobarit) cælesti quantitati *anfractus Solis*, quàm maxime cõueniret, si stabilis ac firma foret *Syderij* seu *astronomici* anni quantitas.

CORRECT. CALEN:

titas. Alphonsus verò Castellæ Rex, qui AËram suam  
annotavit Anno Domini 1251. Anni quantitatem asserit  
continere dies 365. horas quinque minu. xlix. secund. xvj.  
Et est differentia minor à sex horis in minut. decem, &  
secund. xliij. Quæ aggregata per annos 134. ut & Alo-  
ysius affirmat, fere diem unum conficiunt, hoc est, horas  
xxij. minut. lvij. secund. xvj. Et secundum hanc suppu-  
tationem prædicta anticipatio quindecim dierum comple-  
retur duobus millibus & decem annis, ut & hæc anni  
Alphonsini quantitas, cælesti quantitati minime conueni-  
at. Quoniam ab anno xlv. ante ortum Christi, quando  
Cæsar statuit Aequinoctium vernale circa diem xxv.  
Martij vsq; ad annum Domini 1583. in quo nunc sumus,  
non plures anni 1627. intercesserunt, & tamen Aequi-  
noctium anticipavit, quindecim fere diebus. Observavit  
etiam Iohannes Stofflerus, annum Alphonsinum non ple-  
ne conuenire motui Solari. Itaque in suo Calendario prop.  
xxxvij. iuxta propriam opinionem in annis 120. anticipati-  
onem unius diei affirmat. Atq; hæc illa varietas anni est,  
cuius meminit Aloysius, cum eius quantitatem, à doctiss.  
& diligentissimis Mathematicis dicit observatam, & di-  
uersis temporibus aliam atq; aliam reperiã. Ut hinc con-  
vincatur (dum de observatione summorum artificum dubi-  
tare nefas foret) eandem non semper sui similem esse, sed  
Solem vaga ac mutabili ratione labi, motuq; veteribus ig-  
nato ferri, ac varios anfractus revolutiones alias atq; alias  
diversis

## EXHORTATIO

*diuersis temporibus sortiri. Quod Aloysius Calendarij cor-  
 rectioni quantitatem Alphonsinam, tanquam mediam, er-  
 roriq; minus obnoxiam, commodissimam esse iudicauerit,  
 non tam ad prateritum, quam futurum tempus, Aequino-  
 ctiorum anticipationis correctionem, spectat, idq; ex eo  
 fundamento, quod propter motum illum, quem veteribus  
 ignotum diximus, alij ad anni Ptolomaici, alij ad Alphon-  
 sini quantitatem, videlicet astronomici vel syderei an-  
 ni magnitudinem, observationibus collatis, nostro æuo re-  
 diisse existiment. Annus enim sydereus, qui maior fuit  
 temporibus Ptolomæi, & minor temporibus Alphonsi,  
 nunc rursus petit quantitatem Alphonsinam aut Ptolomæ-  
 maicam. Nam iuxta nouam obseruationem in celeberrimo  
 Tubingæ gymnasio. Anno 1536. in meridie decimæ  
 Martij (teste Hieronymo Cardano Mathematico & Phi-  
 losopho insigni, in suo Astronomico supplemento) habitam,  
 minor tantum minu. xxxiiij. secundis & xij. tertijs, horæ  
 vnius, quam Alphonsi conuersio, reperta est. Cui & Abra-  
 ham Zachut dudum nec minus ex Neotericis cælestium  
 motuum obseruatoribus Nicolaus Copernicus atque Eras-  
 mus Reinholdus in media & æquali annua solaris atque  
 æquinoctij restitutione, si non penitus, fere tamen consens-  
 riunt, vt hinc recte Aloysius intercalandi formam in tem-  
 pus subsequens adornans, iuxta Alphonsinum calculum  
 eam instituat, quem Petrus Pitatus Veronensis Mathe-  
 maticus, de Calendarij instauratione ad Pium iij. Pontif.  
 scribens*

CORRECT. CALEN:

*scribens præter ceteros approbavit. Aequinoctijs itaq; ex diuersitate anni vsualis ac syderij seu Astronomici anticipatis, Lunatio quoque verni temporis ac plenilunium proximè sequens æquinoctium, quod tamè accuratissimè sub Anathematis pœna obseruandum esse, Nicena Synodus præcipit, etiam mutabitur. Dum enim celeberrima Christianorum festiuitas, à qua cætera pendent festa mobilia iuxta ordinationem Nicenæ Synodi, vt etiam in decretis Gratiani Dist. iij. de consecr. cap. Celebritatem. videre est, Dominica intra xiiij. & xxj. Lunam arctissime obseruanda sit, euenit interdum æquinoctiorum anticipatione, tempus vernale in æstiuum fere commutari, secundo perperam mense celebrato Paschate, Sole videlicet Tauri fere dimidium obsidente. Exorbitationis seu erroris huius caussa existente, stabili & firma æquinoctij ad xxj. Martij D. Benedicti diem, ab anno 323. Nicenæ Synodi applicatione, & ad hæc vsque tempora constitutione. Quod si ad multos annos error ille perseveret, adiuuante corrupto & vitiato Lunari cyclo, non secundo tantum mense, verum etiam ipso Nouilunij die, solemnitatis Paschalis celebranda aliquando foret, quod (nisi forte solaris Eclypsis in ipso Passionis & nouilunij die concurrat) per antiquos Ecclesie Canones vetitum penitus fuit. Atq; hæc partim propter anticipationem æquinoctiorum, partim verò ob cyclum corruptum Lunarem eueniunt, alteram videlicet vitiati Calendarij caussam.*

D

Aureus

## EXHORTATIO

Aureus enim numerus, seu cyclus decemnoualis, suum officium, cuius gratia Calendario applicatus est, non facit, ut videlicet nouam Lunam & ex ea decimamquartam, ostendat Paschalem, adeo ut Lunam modo quintam, modo sextam cornuta facie conspēctam, pro prima obtrudat, atque inde etiam pro quartadecima post dies totidem ex aurei numeri vitio vicesimam, à facie Lunæ conspēctam, aut ex calculo accuratiori Astronomico obseruatam, similiter exhibeat. Hinc etiam erroneè contingit, Paschalem nostram solemnitatem in vicesimam quintam, imo aliquando sextam lunam, in cælo iam lumine eius diminuto, perperam celebrari, cum tamen illud per decreta Ecclesiæ vetitum sit. Et hic error ex motu Lunæ veteribus incognito, eiusq; vitioso cyclo, anno Iuliano applicato, causam sumit. Motus Lunæ proprius, secundum motum & cursum equalem, iuxta Alphonsinos, perficitur diebus xxvij. horis vij. minu. xliij. Secund. fere v. Sed ab vna congressione Lunæ cum Sole ad alteram, quælibet lunatio iuxta medium motum, continet dies xxix. horas xij. min. xliij. secund. ij. tertia ij. Ad has inueniendas Luminarium coniunctiones, Alexandrini rerum cælestium inuestigatores excellentissimi, miserunt ad Romanos tum temporis rerum, Dominos tabulam quandam argenteam, aureis literis descriptam, vnde lunares cum sole coniunctiones, oppositiones, reliquosq; aspectus indagarent ac inuenirent. Atqui hinc decemnoualis cyclus, aureus numerus etiam

num

CORRECT. CALEN:

num vocatur, qui in nostris Calendarijs reperitur, & tem-  
 pore Concilij Niceni, Anno Domini 323. interlunia è di-  
 recto diei cui obijciebatur, quasi indice seu digito ostende-  
 bat. Sed modo non coniunctionem Solis & Lunæ, aut eti-  
 am decimam quartam diem à nouilunio, plenilunium sci-  
 licet, sed potius Lunam v. & vj. xix. & xx. vt commes-  
 moratum est, ostendit, cum videlicet in annis 304. lumi-  
 narium congressiones, anticipent sedes suas per vnum fe-  
 re diem. In quolibet enim Cyclo lunari, hoc est, in singulis  
 xix. annis, reuolutiones lunæ anticipant totidem solis re-  
 uolutiones, hora vna. minu. xxvij. secund. iij. eo scilicet  
 quod xix. anni lunares, cum suis septem embolismis sunt  
 ea quantitate breuiores xix. annis solaribus cum suis iij.  
 bissextis & xvij. horis. Qui defectus computatus xvj.  
 Cyclis, 304. annis, ad vnum fere diem naturalem, hoc est,  
 ad horas xxij. min. xxvij. sec. lxx. excrescit, Alijs tamen  
 placuit anticipationem eiusmodi in annis 262. fieri, eo  
 quod annis 1627. vltra sex dies, ab emendatione Calenda-  
 rij per Iulium Cesarem facta, anticipauerit. Hinc est  
 quod aureus numerus non possit habere firmam & fixam  
 sedem in Calendario ad coniunctiones Lunæ & solis in-  
 ueniendas, sed ad tabulas Astronomicas recurrendum,  
 aut noua ratio cycli temporis longioris Calendario appli-  
 canda sit, vt à Petro Pitato Veronensi Mathematico &  
 Aloysio lilio in suo correctionis compendio factum esse cer-  
 nimus, atq. ita ex anticipatione æquinoctiorum Cycloque

D ij lunari

## EXHORTATIO

lunari collapso Paschales termini, non sine graui detrimento Ecclesiaeque incommodo, vitiati & corrupti sunt haecenus. Atque haec de incorrecti Calendarij errore haecenus, nunc de correctionis necessitate & commoditate secundò agamus.

Collapsos terminos Paschales in hoc vsq; tempus reformari ac restaurari non minus vtile, quàm necessarium Ecclesiae esse omnes, qui demonstratum errorẽ cognouerunt, iudicant, idq; varias ob causas, quarũ aliae alias superant, magisq; praegnantes sunt. Prima est, vt Iudaeorum calumniae ignorantiam & inscitiam Paschalis solemnitatis, terminorumque eiusdem solemnitatis celeberrimae, non temere Christianis impingentibus vel iam tandem occurratur, & haereticorum obgannitui salutari correctione Ecclesia obuiam eat, qui non sine calumnia & cachinno affirmant, impijsimos Manichaeos, crudelissimosque Turcas, Saracenos, Arabes, aliosq; populos, cultores impij Machumeti illius diem, quo infelicissimam animã euomuit (nam morte violenta perijt) quotannis magno cum apparatu die certo celebrare, nos verò Christianos Pascha nostrum sacratissimum vago & deuio calculo obseruare. Et proinde non temere Ecclesiae praesules, soporis & ignauiae arguunt, quod ad errorem tam manifestum atq; conspicuum conuiueant, quod Lunam falcatam seu cornutam in caelo cum suis asseclis ipsi in Ecclesiae contemptum digitis demonstrare queant: Ecclesia tamen ex collapso Calanda

CORRECT: CALEN:

rio, & aurei numeri vitio deprauato, primam eam nomi-  
net, illa autem deficiente ac xxv. aut xxvj. existente pro  
xv. aut xvj. in celebratione maximæ festiuitatis Christi-  
anorum, à qua cætera festa pendent, crassissimo errore ha-  
beat ac pronuntiet. Delicatiores verò alij, qui ventri ser-  
uiunt ac patrocinantur, hoc prætextu quadragesimale je-  
iunium repræhendunt, effugiendumq; censent, quod Pa-  
scha in secundum mensẽ vitio Calendarij trãsferatur, ob  
caloris exuberantiam cibariumq; acuitatem seu salsedi-  
nem, quæ corpora ipsa exiccet. Nec illud omittendum,  
quod Lucas Gauricus vir apprime in omni disciplinarum  
genere versatus Ecclesiæ alumnus, neq; de hæresi, quod  
equidem sciam, suspectus, affirmet, se multoties experien-  
tia didicisse, quoties sanctissimum Pascha, à quo intersti-  
tia reliquorum festorum mobilium pendent, non ritè, id  
est, debito tempore celebratũ esset, iuxta mandata Moysi  
à Deo data, à Synodo Nicena magno & maturo consilio  
suscepta, quod toties in Europa, maximæ hominum stra-  
ges, pestes horrendæ, aut annonæ rerumq; omnium caritas  
famesq; subsequuta sit. Lucas Gauricus, haud dubiè puta-  
uit id propterea fieri, quod ultra diuinum veteris legis  
oraculum, exterminationem illius animæ minitantis, qui  
non fecerit Phase domino suo debito tempore, Sanctorum  
patrum decreta Antiocheni seu etiam Calcedonensis con-  
cilij illorum exorbitationem anathemate notauerint, qui  
regulam magni concilij Niceni de sancta & salutari festi-

D ij uitate

## EXHORTATIO

*uitate Paschali Saluatoris D. N. Iesu Christi soluerent, aut obseruandam præfinito tempore non esse putarent. Hæc tam acerba horribiliaq; adferenda non esse putarem nisi à Catholico, Italo, ad episcopalem dignitatem euecto, posteritati relicta & obseruata forent. Quod si Analogiam seu conuenientiam cardinum cæli, æquinoctiorum ac solstitiorum, cum tempore mortis natiuitatisq; Christi Saluatoris conferre voluerimus, in promptu ratio erit, eaq; pulcherrima non exigui mysterij, Cur scilicet Christus Saluator noster, verus Deus & homo, voluerit nasci sub Bruma, seu Hyemali solstitio, pati vero circa æquinoctium, atque adeò in ipso plenilunio. Quæ ratio terminos Paschales ob mysterij veritatem non negligi, verum accuratissime obseruari, collapsosq; restaurari, Ecclesiæ non vtile solum, sed pene necessarium conuincit. Quemadmodum enim Sole circa solstitium hyemale hærente, mundus horret, omniumq; rerum quasi præsto est interitus, ita nascente Christo, hyeme aspera, omnia horrescebant, interituiq; proxima erant, atq; iam interierant. Omnes enim inutiles facti, clamat scriptura: Refruxerat enim charitas, totus mundus teterrimus erat densa caligine, vitiorumq; tenebris obductus: Populus enim Esaiæ teste, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbre mortis, lux orta est. Idq; conuenientissime cum aegris opus sit medico non bene valentibus, Christi Saluatoris testimonio, hyeme aspera, cum omnia rigeret,*

*ac*

**CORRECT: CALEN:**

ac tenebris densissimis implicarentur: Media enim nocte exortus est SOL IUSTITIÆ CHRISTVS. Quod autem Dominus circa æquinoctium vernum, atq; adeo in ipso plenilunio passus sit, Ratio est: Nam quemadmodum Sol, vbi primum Arietis punctum ingrediens, totam mundi machinam peruagatur, diei naturalis spacio, vndique (dux & author cæterorum luminum, mundi mens & temperatio existens, cuius radijs inferiora vegetantur, aluntur ac fouentur) illuminat atque illustrat: Ita etiam Christus Dominus, vbi totus mundus immersus esset tenebris, hyeme aspera (vt supra declaratum) natus, circa æquinoctium sua morte ac passione genus humanum vniuersum redimere atque reparare, pristinae dignitati restituere, vitia ex diabolo nata extinguere, Sathanae deuicti ac ligati vires reprimere, ac mortis stimulos confringere, mundumq; vniuersum, vt sol iustitiæ illuminare, cordibus hominum tenebras depellere, idq; ob mysterium, in accessu solis ad nos commodius, quam recessu Solis à nobis, non sine magno mysterio voluerit, idq; duplici de caussa in Plenilunio. Primò, quod Luna in potestatem noctis condita sit, ac synagogam ob errores suos varios, recte adumbrauerit, legemque ipsam tempore mortis Christi adimpletam ac consummatam esse præsignificauerit, hominumq; malitiam ad insolitam magnitudinẽ excreuisse demonstrauerit, plenoq; orbe quod conspiceretur. Orbis proinde malitiæ, vt Lunæ plenæ, Christum Dominum Solem iustitiæ, misericordie

## EXHORTATIO

*ricordia, immensae bonitatis ac largitatis sua morte, suaeque  
 passione non desuisse, quin illi lumen suum impartiretur,  
 illumque ita accenderet ac illustraret, ut eius incola &  
 mortales, caro & sanguis scilicet plane transformati neque  
 lumine Solis nec Lunae egeant, factique sanctorum conci-  
 ues ac domestici Dei, aeterna felicitate, e qua per inobedi-  
 entiam Adae exciderant, de novo perfruituri sint. Secundo  
 vero in plenilunio Christus Saluator pati voluit, quo eo  
 tempore per Eclipsin miraculosam Iudaeis & Gentibus,  
 qui contra naturam eam fieri intelligebant, innotesceret,  
 eosque in sui cognitionem, admirationem, miraculose tamen  
 adduceret, & sic non sine magno mysterio, in temporis ple-  
 nitudine iuxta D. Paulum Christus Saluator, tam nasci  
 quam pati voluit. Atque eo respexisse legis mandatum  
 credibile erat, quod sub exterminio animae eius, qui non  
 fecerit Phase Deo in tempore suo, nos obligat. Quod autem  
 tempus illud idoneum sit, disertè expressum est à Iosepho  
 lib. iij. Antiq. ubi refert Pascha celebrari deberi decimo  
 quarto die mensis Nisan, quando Luna Soli arietem per-  
 currenti, opponitur. Quod & Nicolaus de Lyra super cap.  
 xij. Exhodi explicat: Primum mensem Hebraeorum sem-  
 per incipere à principio Lunationis propinquioris equi-  
 noctio. Lunationem dicit mensem verum & naturalem  
 Lunae circuitu effectum. Atque illud Pascha etiam Chri-  
 stus Dominus, praeter Iudaeorum traditiones, qui ob Saba-  
 thum subsequens, celebritatem festiuitatis mutauerant,  
iuxta*

### CORRECT. CALEN:

iuxta legem accuratissimè obseruauit cum discipulis discumbens, agnumq; Paschalem cum azymis, typicum die & Luna xiiij: comedens. Hæc de commoda & pene necessaria correctione anticipationis æquinoctiorum ac terminorum Paschalium dicta sufficiant, jam de tertia & potiore parte præsentis discursus, forma scilicet & modo correctionis Calendarij agendum. Primò de correctione quæ Aequinoctij causa instituenda est.

**ÆQUINOCTIVM** vernum tempore Iulij Cæsaris circa xxv. Martij, hæsit, ac in concilio Nicæno anno 323. ratione anticipationis, circa diem xxj. Martij adinuentum est, cui quasi fixum foret, Patres Synodi Nicenæ, Paschales applicarunt terminos: hoc idem Aequinoctium nostro æuo, per anticipationem vndecim dierum, decem vero (vt Aloysius ponit) ad diem decimam & vndecimam Martij, peruenit. Ad emendationem autem huius regressus in dies præcedentes, vt Calendario restaurato conueniat æquinoctium, duplex modus seu forma adhiberi potuisset. Primus modus, vt si mansisset in sua sede, in qua nostro tempore hæere deprehenditur: Secundus modus fuit in suam veterem sedem si reductum fuisset, idq; dupliciter, vel ad eam in qua tempore Nicenæ Synodi constituebatur, videlicet circa xxj. Martij, vel etiam ad eam, in qua tempore Iulij Cæsaris, & circa mortem ac resurrectionem Christi Domini reperiebatur.

Ad primum modum quod attinet figendum fuisset æqui  
E noctium

## EXHORTATIO

noctium ad dies decimam Martij & vndecimam, cum æquinoctium intra limites horum dierum versetur, quare hi ambo & non vnus tantum pro terminis æquinoctij assignandi ac constituendi fuissent. Hanc correctionis formam Petrus de Aliaco Cardinalis in Constantiensi Synodo obseruandam magnopere suasit, et Ioanni xxij. nisi cessisset Pontificatui, eam persuasisset, quæ D. Paulo de Middelburgo, episcopo Forosemprenensi & D. Ioanni Stofflerino ad Maximilianum Imperat. non displicuit, quæ cæteris formulis præferenda, multis viris doctis semper visa fuit, quod facilis esset, nullamq; in vulgo perturbationem, offensiculum, aut nouitatem inducere existimetur, neq; tabulis Astronomicis difficultatem aliquam ingerat, exemploq; Nicenæ Synodi præter rationem efficacissimam, quam habet, approbata sit. Nam Patres in Synodo Nicæna, vt dictum est, æquinoctium non reuocabant ad xxv Martij, circa quam tempore mortis Christi hæsit, sed relinquebant in ea die, cum qua in celo versaretur, cum dies Paschalis, mysterium ratione æquinoctij habeat, cum in plenilunij proximè subsequenti æquinoctium Dominicam, iuxta canones ac Sancti patrum decreta perpetuo incidere debeat, non verò hæc vel illa dies consideranda sit. In æquinoctio enim non in diebus versatur mysteriū. Atq; hæc de prima forma, quæ sine reductione est: Secundæ formæ quæ per reductionem fit, prior species est; Si æquinoctium vernum reducat in sedem determinatam à Sino

d

### CORRECT. CALEN:

do Nicena ad xxj. Martij, per omissionem xj. dierum aut x. ex sententia Aloysij, quibus ab eo tempore iam anticipavit æquinoctium vernum. Hæc in plures species subdividitur, alijs sc: intermissione intercalarium dierum per xliij. annos, ex sententia Aloysij vero annis xl. ut correctio fiat, alijs vero ut vno anno instituaturs restauratio, contententibus, simulq; illi dies eximantur suadentibus, ne scilicet diu in errore perseveret ecclesia. Formulæ huius correctionis utramq; speciem in deliberationem adducit Aloysius, & pro priori facit auctoritas & ratio: auctoritas videlicet Augusti, qui annum Iulij Cæsaris imperitia & negligentia Sacerdotum corruptum, intermissione intercalarium correxit. Ratio, quod error vitio intercalationis ortus, per propriam causam intercalarium redundantium intermissionem, tollatur. Sed hæc formula suas difficultates habet, veluti quod tollat memoriã intercalarium, seriem & mutationem literæ Dominicalis, seu usum cycli solaris euertat. Ut hinc alteram eius speciem exemptionis scilicet x. dierum, ex vno anno vnoq; mense Aloysius ecclesiasticæ dignitati magis convenire existimaverit. Verum non inconuenienter hic moueri potuisset: Vtrû hæc dignitas ecclesiastica tanti sit momenti ac ponderis, ut citra necessitatem, mundo iam senescente, & quasi decurso post 1583. à Christo nato annos, x. dierum reiectionem posset accusare, idque cum summa admiratione rudiusculæ plebeculæ, ac nescio quo obligationum, contractuum ciuis

E ij lisq;

## EXHORTATIO

*lisq; vitæ incommodo, hereticorū cachinnatione, annorū  
 et temporum mutationem Christianorum S. Pont: Max:  
 vt Antiocho affingentium. Propheta dictum: In medio  
 annorum viuificabis illud si ad tempus, tam precedens,  
 quam subsequens Christum, tuto referri posset, vt Aloysius  
 sensisse videtur, dum annos Christi in sua correctione ad  
 v. milia extenderit aut: de perpetuitate mundi vera esset  
 Peripatericorū sententia, maior esset eximendorum dierū  
 ratio, ad restaurādos veris ac Brumæ terminos, ob Annun-  
 ciationis Diuæ virginis, ac Natiuitatis Christi solemnita-  
 tem mysteriumq;, Cum prorogatione decem dierum, aut  
 etiam duodecim, seu quindecim, immo plurium, solempni-  
 tatis non tollitur mysterium, tam Incarnationis, quam  
 Natiuitis Christi. Nam Deo factō homine in æquinoctio  
 vernali, omnia facta sunt noua, vt Durandus ait, in suo ra-  
 tionali Diuin: quod quidem vno die non contingit, sed tem-  
 pore vernali toto. Sic à Natali Domini dies prolongantur  
 teste Durando, quia credentes in eo, ad æternitatis lucem  
 vocantur, quod à Bruma ad solstitium vsq; locum habet.  
 Dum itaq; quindecim circiter diebus, Annunciationis fes-  
 tum in primum mensem vernalem incidens, æquinoctiū,  
 & similiter post Brumam seu hyemale solstitium, Natiui-  
 tas Christi Saluatoris sequatur, non soluitur mysterium,  
 verno tempore tribus mensibus, sex verò solis ad nos acces-  
 sus incremento, durante. Proinde nec Patres in sacrosan-  
 cta Generali Synodo Basiliensi, septem dierum reiectione*

*Calen.*

### CORRECT. CALEN:

Calendarium restaurari posse constituentes, Incarnationis aut Natiuitatis Domini rationem habuere. Cætera incommoda, quæ huic formulæ veteribus præ cæteris approbata, eueniunt, videlicet quod Septuagesima eueniret infra octauam Epiphaniæ, & interuallum à natali Christi inter Dominicam, Esto mihi, non sit sufficiens celebrandis nuptijs, Præterea quod exorbitet à Regula præscorum patrum cum præsentī formulæ lunatio primi mensis, à xxv. Calend. Martij, vsq; in xxvj. Calendarum, Aprilis obseruanda foret, patribus, eam ab viij. idus Martij vsq; in nonas Aprilis obseruantibus, diluit D. Ioannes Stofflerinus Prop. xxxix. litera G. Verum quæ hæcenus de præsentī correctionis formulæ à nobis producta sunt, non eò adducta, vt aliquam formulæ approbatæ per S. D. N. Papam præferendam existimemus, sed solum, vt ostendamus, quæ doctorum hominum fuerit aliquando sententia & iudiciū de Calendarij correctione, antequam, vlla formulæ in Ecclesia correctionis Calendarij approbata esset. Vna autem iam recepta, eaq; approbata, cæteræ omnes silere, et approbatæ postponi debent. Quod autem omnes hic à nobis adductæ sint correctionis formulæ informationis gratia factū est, vt simplicioribus et in rebus sublimibus minus versatis perspicuum euadat, cur Calendarium corrigendum fuerit, & quam correctionis formulam præ cæteris, Sanctiss. Dominus potissimum approbarit, alijs omnibus in vniuersum reprobatis. Nam et dierum eximendorum rationem etiam

## EXHORTATIO

*viris doctis placuisse constat, cum hac ratio Cusano Cardi-  
 nali, & Harmanno Zestio Cisterciensi, non improbata  
 fuerit, patribusq; in consilio Basiliensi non displicuerit, ut  
 ex eius concilij decretis colligitur. Septem enim dies e  
 Maio mense, anni Domini 1439. eximendos iudicauerunt,  
 idq; haud dubie, hac de caussa, non quod ignorarent anti-  
 cipationem æquinoctiorum, sed ne literarum dominicaliũ  
 ordinem interturbarẽt, Calendarium plane vetus destru-  
 erent, quod mysterium non in diebus, sed tempore æquino-  
 ctij versari iudicassent. Alterum autem modum secundæ  
 speciei, quo æquinoctia aut ad Iulij Cesaris ætatem, aut ad  
 mortem Christi saluatoris reducenda, veteribus ignotum,  
 Petrus Pitatus Veronensis Mathematicus, Pio iij. Ponti-  
 fici proposuit, Quem etiam Aloysius diebus solummodo  
 xij. subtractis non improbare videtur. Qui talis est: Dies  
 quatuordecim annis duobus, septem videlicet ab vnoquoq;  
 subtrahendos, cum septem sint in anno Romano menses x-  
 xxj. dierum, ut hi anni duobus tantum xxx. dierum fiãt.  
 Hic præter cæteros eam commoditatem habet, quod æqui-  
 noctio suo vero termino, in quo circa Christi Saluatoris  
 natiuitatem ac mortem hæsit, restituto, etiam incarnati-  
 onis ac natiuitatis festum Brumæ, ac veris initio reddat,  
 mysteriumq; quod habent, plenè ac perfectè instauret.  
 Atq; hæ sunt formulæ, quibus tum veteres, tum huius æui  
 Mathematici in correctione anticipationis æquinoctiorũ  
 vtendum esse existimauerunt. Ne autem imposteriorum æ-  
 quino-*

CORRECT: CALEN:

quinoc̄tia anticipent, talis ratio obseruanda. Videlicet v̄  
centesimi quiq̄ anni, qui intercalares omnes esse solent, à  
tempore correctionis non omnes, sed tres primi quiq̄, com-  
munes sint. Quartus vero quisq̄ intercalaris sit. Vt ita  
143. fere annis, vnus dies ob anticipationem æquinoc̄tiorũ  
eximatur, firmaq̄ sede æquinoc̄tia in subsequens æuum  
conseruet. Huic correctioni non est, quod refrager aut re-  
sistam, cum ob approbatam nostro æuo aut superius decla-  
ratam Alphonsinam quantitatem, tum quod eam rationem  
non ab Aloysio tantum propositam, sed etiam à Pitato Ma-  
tematico traditam descriptamq̄, et ab alijs artificib. non im-  
probatam esse conspiciam, vt hunc maxime iudicauerint,  
in æquinoc̄tiorum ab anticipationis errore conseruatione  
sequendum. Quod ad Cycli decemnoualis correctionem, re-  
stauracionemq̄ attinet, illa aut ex Petri Pitati Calenda-  
rio correcto, ac Pio iij. Pontif. Max. destinato, aut ex ta-  
bulis Astronomicis iuxta Ioannis Lucidi sententiam, aut  
etiam ex Aloysij descriptione ac calculatione peti potest.  
æquinoc̄tio itaq̄ recto termino firmoq̄ constituto, cuiusuis  
erit iuxta ordinationem Nicenæ synodi, diem Paschalis  
festiuitatis definire, quo definito cætera festa mobilia, de-  
terminatos suos sequuntur dies, iuxta computi Ecclesias-  
tici vulgatam viam & rationem.

Hæc sunt Illustrissimi ac Reuerendissimi Principes,  
Domini mei Clementissimi, quæ mihi pro presentis nego-  
tij declaratione, & Calendarij correctione, hoc tempore  
potissimè

## EXHORTATIO

potissimum in medium adferenda esse videbantur, quo  
 vestras Illustriss. ac Reuerendiss. Celsitudines, ad correc-  
 tionem necessario instituendam exhortarer atq; admone-  
 rem. Quæ tanto facilius & expeditius in vestris regioni-  
 bus et prouincijs introduci poterit, quod vicina prouincia  
 Belgicæ, eam receperint & approbarint, ne dicam ciuita-  
 tem Aquensem, quæ intra fines ac terminos Iuliaci Duca-  
 tus sita est, eam proprio motu recepisse, non pro reuerentia  
 tamen sedis Apostolicæ, sed pro reformatarum Ecclesiarum  
 (vt Vocant) ad quas respicere uidentur, usu & appro-  
 batione. Huc accedit quod, per Italiam & Regnum Pos-  
 loniæ similiter introducta sit, Et in eo, à S. D. N. pontifi-  
 ce maximo laboretur, uti Roma ad nos perlatum, ut orien-  
 talis Ecclesiæ præsules, qui etiamnum supersunt, eandem  
 recipiant atq; exequantur, & nouæ Ephemerides, ut su-  
 perius declaratum ad hypotheses recentiores & correctiores  
 calculatæ atq; descriptæ, Sanctissimo Domino Pontifici  
 Max: dedicatæ sint, ut hinc iuxta reformatum Calendari-  
 um Diaria constitui et cætera ad eam rem necessaria peti  
 possint. His Deo opt. Max. vestras Illustrissimas ac Re-  
 uerendissimas Celsitudines, diu saluas & incolumes ad  
 Christianæ Reipublicæ salutem, pacem, concordiam, &  
 tranquillitatem commendo.

GREGORIUS EPISCOPVS SERVVS  
SERVORVM DEI AD PERPETVAM  
REI MEMORIAM,

**I**nter grauíssimas pastoralis officij nostri curas, ea postrema non est, ut, quæ à sacro Tridentino concilio Sedi Apostolica reservata sunt, illa ad finem optatum, Deo adiutore, perducantur. Sane eiusdem Concilij Patres, cum ad reliquam cogitationem Breuiarij quoq; curam adiungerent, tempore tamen exclusi rem totam ex ipsius Concilij decreto ad auctoritatem & iudicium Romani Pontificis retulerunt. Duo autem Breuiario præcipue continentur, quorum unum preces, laudesq; diuinas, festis, profestisq; diebus persoluendas complectitur: alterum pertinet ad annuos Pascha, festorumq; ex eo pendentium recursus, Solis & Lune motu metiendos: Atq; illud quidem felicitis recordationis Pius V. prædecessor noster absoluendū curauit, atq; edidit: Hoc vero, quod nimirum exigit legitimam Kalendarij restitutionem, iamdiu à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & sepius tentatum est, verum absolui, & ad exitum perducī ad hoc usq; tempus non potuit: quòd rationes emendandi Kalendarij, quæ à caelestium motuum peritis proponebantur, propter magnas, & fere inextricabiles difficultates, quas huiusmodi emendatio semper habuit, neq; perennes erant, neq; antiquos Ecclesiasticos ritus incolumes (quod imprimis hac in re curandum erat) seruabant. Dum itaq; nos quoq; credita nobis licet indignis à Deo dispensatione freti, in hac cogitatione curaq; versaremur, allatus est nobis liber à dilecto filio Antonio Lilio artium & medicine doctore, quem quondam Aloysius eius germanus frater conscripserat, in quo per nouum quendam Epactarum Cyclum ab eo excogitatum, & ad certam ipsius Aurei numeri normam directum, atq; ad quamcumq; anni solaris magnitudinem accommodatum, omnia quæ in Kalendario collapsa sunt, constanti ratione, & seculis omnibus duratura, sic restitui posse ostendit, ut Calendarium ipsum nulli vnquam mutationi in posterum expositum esse videatur. Nouam hanc restituendi Calendarij rationem exiguo volumine

E  
comprehensam

comprehensam ad Christianos Principes, celebrioresq<sup>3</sup>, uniuersitates paucos ante annos misimus, ut res, qua omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur: illi cum, qua maxime optabamus, concordēs respondissent, eorum nos omnium consensione adducti, viros ad Kalendarij emendationem adhibuimus in alma Urbe harum rerum peritissimos, quos longe ante ex primariis Christiani orbis nationibus delegeramus: ij cum multum temporis, & diligentia ad eam lucubrationem adhibuissent, & Cyclos tam veterum, quam recentiorum vndiq<sup>3</sup>, conquisitos, ac diligentissime perpensos inter se contulissent, suo, & doctorum hominum, qui de ea re scripserunt, iudicio, hunc præ ceteris elegerunt Epactarum Cyclum, cui nonnulla etiam adiecerunt, qua ex accurata circumspectione visa sunt ad Kalendarij perfectionem maxime pertinere.

Considerantes igitur nos, rectam Paschalis festi celebrationem iuxta sanctorum Patrum, ac veterum Romonorum Pontificum, præsertim Pij & Victoris Primorum, necnon magni illius œcumenici Concilij Nicæni, & aliorum sanctiones, tria necessario coniungenda, & statuenda esse, primum certam Verni æquinoctij sedem, deinde rectam positionem xiiij. Luna primi mensis, qua vel in ipsum æquinoctij diem incidit, vel ei proxime succedit, postremo primum quemq<sup>3</sup> diem Dominicum, qui eandem xiiij. Lunam sequitur: curauimus non solum æquinoctium Vernum in pristinam sedem, à qua iam à Concilio Nicæno decem circiter diebus recessit, restituendum, & xiiij. Paschalem suo in loco, a quo quatuor, & eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam, sed viam quoq<sup>3</sup>, tradendam & rationem, qua cauetur, ut in posterum æquinoctium, & xiiij. Luna à propriis sedibus numquam dimoueantur. Quo igitur Vernū æquinoctium quod à Patribus Concilij Nicæni ad xij. Kalend. Aprilis fuit constitutum, ad eandem sedem restituatur: Præcipimus, & mandamus, ut de mense Octobri anni 1582. decem dies inclusivè à tertia Nonarum vsq<sup>3</sup>, ad pridie Idus eximantur & dies qui festum S. Francisci iij. Nona. celebrari solitum sequitur, dicatur Idus Octobris, atq<sup>3</sup>, in eo celebretur festum SS. Dionysij, Rustici, & Eleutherij martyrum, cum commemoratione  
S. Marci

S. Marcipapa & confessoris: & SS. Sergij, Bacchi: Marcelli, & Apuleij martyrum. Septimodecimo vero Kal. Nouembris, qui dies proxime sequitur, celebretur Festum S. Callisti Papa & martyris. Deinde xvi. Kal. Nouembris fiat officium & Missa de Dominica xvij. post Pentecosten, mutata litera Dominicali G. in C. Quintodecimo deniq; Cal. Nouemb. dies festus agatur S. Lucae Euangelista, à quo reliqui deinceps agantur festi dies, prout sunt in Kalendario descripti.

Ne vero ex hac nostra decem dierum subtractione alicui, quod ad annuas vel menstruas praestationes pertinet, prauidicium fiat, partes iudicum erunt in controuersis, quae super hoc exorta fuerint, dicta subtractionis rationem habere, addendo alios x. dies in fine cuiuslibet praestationis.

Deinde ne in posterum à xij. Kal. April. equinoctium recedat, statuimus Bissextum quarto quoq; anno (uti mos est) continuari debere, praeterquam in centesimis annis: qui quamuis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum. 1600. post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles sint, sed in quadringentis quibusq; annis primi quiq; tres centesimi sine Bissextis transigantur, quartus vero quisq; centesimus Bissextilis sit, ita ut Annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint Anno vero 2000. more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29. continente, idemq; ordo intermittendi, intercalendiq; Bissextum dum in quadringentis quibusq; annis perpetuo conseruetur.

Quo item xiiij. Paschalis recte inueniatur itemq; dies Luna iuxta antiquum Ecclesiae morem ex Martyrologio singulis diebus ediscendi fidei populo vere proponantur: statuimus, ut amoto aureo numero de Kalendario, in eius locum substituatur Cyclus Epactarum: qui ad certam (uti diximus) aurei numeri normam directus efficit, ut nouilunium, & xiiij. Paschalis vera loca semper retineant, idq; manifeste apparet ex nostri explicatione Kalendarij, in quo descripta sunt etiam tabulae Paschales secundum primum Ecclesiarum ritum, quo certius & facilius sacrosanctum Pascha inueniri possit.

F ij

Postremo

Postremo quoniam partim ob decem dies de Mense Octobri anni 1582. (qui correctionis annus recte dici debet) exemptos, partim ob ternos etiam dies quolibet quadringentorum annorum spatio minime intercalandos, interrumpatur necesse est Ciclus literarum Dominicalium. 28. annorum ad hanc usque diem usitatus in Ecclesia Romana, Volumus in eius locum substitui eundem Cyclum 28. annorum ab eodem Lilio tum ad dictam intercalandi Bissexti in centesimis annis rationem, tum ad quamcumque anni solaris magnitudinem accommodatum: ex quo litera Dominicalis beneficio Cycli solaris aequè facile, ac prius, ut in proprio canone explicatur, reperiri potest in perpetuum.

Nos igitur ut quod proprium Pont. Max. esse solet, exequamur, Kalendarium immensa Dei erga Ecclesiam suam benignitate iam correctum atque absolutum hoc nostro decreto probamus, et Roma una cum Martyrologio imprimi, impressumque divulgari iussimus. Ut vero utrumque ubique terrarum incorruptum, ac mendis erroribus purgatum seruetur, omnibus in nostro et sanctae Romanae Ecclesiae dominio mediate vel immediate subiecto commorantibus impressoribus subamissionis librorum, ac centum ducatorum aur. Camera Apostolica ipso facto applicandorum: alijs vero in quacunque orbis parte consistentibus sub excommunicationis latae sententia, ac alijs arbitry nostri poenis, ne sine nostra licentia Kalendarium, aut Martyrologium simul vel separatim imprimere, vel proponere, aut recipere ullo modo audeant vel presumant, prohibemus.

Tollimus autem, et abolemus omnino vetus Kalendarium, volumusque, ut omnes Patriarchae, Primate, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, et ceteri Ecclesiarum Praesides, novum Kalendarium (ad quod etiam accommodata est ratio Martyrologij) pro divinis officijs recitandis, et festis celebrandis in suas quisque Ecclesias, Monasteria, Conventus, ordines, militias et dioeceses introducant, et eo solo utantur tam ipsi, quam ceteri omnes presbyteri, et clerici seculares, et regulares viriusque sexus: nec non milites, et omnes Christi fideles, cuius usus incipiet post decem illos dies ex mense Octobri anni 1582. exemptos: ijs vero, qui adeo longinquas incolunt regiones, ut ante praescriptum

scriptum à nobis tempus harum literarum notitiã habere non possint: liceat eodem tamen Octobri mense insequentis anni. 1583. vel alterius, cum primum scilicet ad eos hæc nostræ literæ peruenerint, modo à nobis paulo ante tradito eiusmodi mutationem facere: ut copiosius in nostro Kalendario. anni correctionis explicabitur.

Pro data autem nobis à Domino auctoritate hortamur, & rogamus charissimum in Christo filium nostrum Rodolphum Romanorum Regem Illustrẽ in Imperatorem electum, ceterosq; Reges, Principes, ac Respublicas, iisdemq; mandamus, ut quo studio illi a nobis contenderunt, ut hoc tam præclarum opus perficeremus: eodem immo etiam maiore ad conseruandam in celebrandis festiuitatibus inter Christianas nationes concordiam, nostrum hoc Kalendarium & ipsi suscipiant, & à cunctis sibi subiectis populis religiose suscipiendum inuiolateq; obseruandum curent.

Verum quia difficile foret presentes literas ad uniuersa Christiani orbis loca deferri, illas ad Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ ualvas, & in acie Campi Floræ publicari & affigi, & earundem literarum exemplis, etiam impressis & voluminibus Calendarij, & Martyrologij insertis, & prepositis, siue manu tabellionis publici subscriptis, necnon sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eandem prorsus indubitatam fidem ubiq; gentium & locorum haberi precipimus, quæ originalibus literis exhibitis omnino haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præceptorum, mandatorum, statutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, sublationis, abolitionis, hortationis, & rogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Tusculi Anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXXXI. Sexto Cal. Martij. Pontificatus nostri Anno Decimo.


Cæ. Glorierius.


A. de Alexiis.


Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi Millesimo quin-  
gentesimo octuagesimo secundo. Indictione decima, Die vero Io-  
uis prima mensis Martij, Pontificatus vero Sanctissimi in Christo  
patris, & D. N. Gregorij diuina prouidentia Papa XIII. anno eius  
decimo: Retroscripta litera Apostolica publicata & affixa fuerunt in  
Valuis principis Apostolorum de Urbe, & Cancellaria Apostolica, ac  
in acie Campi Flora, ut moris est, per me Scipionem de Octauianis  
Apostolicum Cur.


Franciscus Baron Magister Cursorum.


Si correctio instituatyr anno 1583. dies festiuitati S. Francisci  
succedens dicatur Idus Octobris. siue dies 15. Octobris & in eo celebretur  
festum S. S. Dionysii, Rustici, & Eleutherij Mart. cum comm. S.  
Marci Papa & Confess. & SS. Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij  
Mart. Die vero proxima, quæ est 16. Octob. diciturq<sub>3</sub> xvij. Cal. No-  
uemb. fiat officium & missa de Dominica xx. post Pentecosten, quæ erit  
Dominica tertia Octob. mutata litera Dominicali f. in b. Die deinde  
sequente quæ est 17. Octo. diciturq<sub>3</sub> xvi. Cal. Nouemb. dies festus aga-  
tur S. Calisti Papa & Marty. Die vero 18. Octob. siue xv. Calen.  
Nouemb. celebretur festum S. Luca Euangelistæ: & ab hac die inclusio  
siue reliqui festi dies agantur, ut in Calendario sunt descripti. Itaq<sub>3</sub> an-  
no 1583. post detractionem x. dierum de mense Octobri erit litera Do-  
minicalis b, Epacta autem vij. & litera Martyrologij g, minusc.














Ge. u. H. 453.

